# ORATIO HOMINIS BELGAE

## *DE VIRTUTE AC LAUDIBUS* BRITANNORUM IN DEFENDENDA ALIORUM CONTRA POTENTIORES DYNASTAS SALUTE.

*Habita in celeberrimâ Oxoniensi Academiâ* XXIX. *April. A.* CIↃ IↃ CII.

VIRTUS & PATRIA.

D. de Osmaell.




*LONDINI*
*Excudebat* RICHARDUS FIELD.
*Anno Domini 1602.*

# ORATIO
# HOMINIS BELGAE
## DE VIRTUTE AC LAUDIBUS BRITANNORUM IN DEFENDENDA ALIORUM CONTRA POTENTIORES DYNASTAS SALUTE.

*Habita in celeberrima Oxoniensi Academia xxix. April. Anno* CIↃ IↃ CII.

VIRTUS





LONDINI
Excudebat Richardus Field.
Anno Domini 1602.

# SERENISSIMÆ
## AUGUSTISSIMÆQUE
## HEROINÆ
# ELIZABETHAE ANGLIAE,
## FRANCIÆ, HIBERNIÆ,
### REGINÆ, &c.



*Agnarum rerum Fortuna non Ratione sapientium, sed ipso suo casu ex Eventu apparet.* DEUS *quippe immortalis, qui Prudetiæ ceteroqui arridere consuevit, hic spes & cogitationes mortalium nescio quomodo ludit ac frustratur. Fit, vt opinor, quod Numen ac Potētiam suam, quam multi aut arroganter dissimulant aut impiè contemnunt, eo ipso ad extremum demonstret. Hinc est quod maximos* ORBIS CHRISTIANI TYRANNOS, *quos omnes pro infandis sceleribus ad exitium vocant, diu impunè consistere videmus. Siquidē evexit eos ad illud fastigiū quo majori suo dolore ac Nationum lætitia tandem repente concidant. At sanè, si divinare licet, sic pœna illorum aut interitus appropinquat, vt præter alicujus tecum* DYNASTÆ

 consen-

consensum amplius nihil restet. Certum est, si illud semel agi cœpit, ipsi suo robore corruent, non infinita potentia, nō opes eos sustinebunt. Nam si quis fortè sic eos requiescere censet, quò recollectis viribus omnes sua sorte invadant, evertant, An ille TYRANNIDEM usqueadeò impunitam fore arbitratur? quinimo, si rectè consideres, ex hoc ipso apparet præsens eorum exitium, modò nos Divinâ benevolentiâ uti quàm frui malimus. Nam cum favorem suum mortalibus Deus ostendit, tum industriã & curam quandam majorem flagitare consuevit. Ac proinde conatus omnes eorum in nihilum recidere videmus. nec enim meum esse arbitror consilia Cœlestia altiùs indagare. Itaque Tu AUGUSTISSIMA Mundi REGINA adnitere, incumbe ad miserorum salutem uti facis, & tandem alios terrarũ Principes tecum excita; quandóque hoc Boreali sidere nata videris, ut fato quodam Diadematis tui ac tui generis Occidentis illos TYRANNOS debelles. Omnes Te Nationes, quæ vel Potentiam eorum formidant vel sævitiam patiuntur, unam suspiciunt, Te intuentur. quòd si eas hoc metu ac malo liberaveris, tum sanè nomen tuum quasi numen aliquod adorabunt in terris. Equidem homo

Belga

*Belga ſanè peradoleſcens hac pietate adductus veni inviſere Regionem, vidi* MAIESTATEM TUAM *ac veneratus fui, cum præ ætate ac conditione meâ nil amplius poſſem Academias inviſi, prælectione in Tacitum & oratione hac ſalutavi. Quam quidem petitione* OXONIENSIS ACADEMIÆ *editam Tibi* LITTERARUM *amanti nunc offero. non quod ſic dignam exiſtimo (etſi quis tantum in Peregrinatione ſperet?) ſed modò (Abſit temeritas) ut animum ergà Populum tuum Juvenis Belgæ oſtendam. Etenim ſcio* ÆTERNA *illa* NUMINA *vel tenuiſſimorum vota mortalium benignè exaudire.*

TUÆ MAJESTATI CUM PATRIA

DEVOTUS
*Homo Belga.*

*Belga sane per adolescens hac pietate adductus veni invisere Regionem, ubi* MAJESTATEM TUAM *ac veneratus fui, cum prae aetate ac conditione mea nil amplius possem Academiis invisis, praelectione in Tacitum & oratione hac salutavi. Quam quidem petitione* OXONIENSIS ACADEMIAE *editam Tibi* LITTERARUM *amanti nunc offero. non quod sit dignam existimo (etsi quis tantum in Peregrinatione speret?) sed modo (Absit temeritas) ut animum ergà Populum tuum Parentis Belgae ostendam. Etenim scio* AETERNA *illa*

NUMINA *vel tenuissimorum vota*

*mortalium benigne*

*exaudire.*

TUAE MAJESTATI CUM PATRIA

DEVOTUS

*Homo Belga.*

# ORATIO

# HOMINIS BELGÆ

## De Virtute ac Laudibus

### BRITANNORUM &c.



Cum plurimùm me Patriæ, cui mentem animumq; devovi, debere profiteor, Tum vel magnanimo huic populo florentissimæq; Orbis terrarũ Nationi incredibili quodam merito obstrictum esse infitiari non possum. Etenim libenter præ me fero Nos vitam, fortunas, parentes, aras & focos, denique majorum omnem Libertatem nostram & quicquid carum habemus, hujus MAJESTATI Imperii tanquam accepta ferre. Itaque quid amplius fecero ac jure vestro debemus omnes, si nos hoc sceptrum BRITANNIÆ tanquam numen aliquod de cœlo delapsum omni posteritatis memoria veneraturos esse dicam. Equidem pro virili, ut partes meas persolvam, nullum studium, nullum officium, nullum benevolentiæ genus, quod quidem ad dignitatem vestram aut laudem pertinere arbitrabor, ullo tempore prætermittam. Quid? Ecquod excellentius excogitari potest? Ecquod omnino propius ad naturam attingit Divinam, quam si Rex aliquis moderatè agens TYRANNOS superbos deprimere, miseras & afflictas Nationes allevare conetur? Atqui hæc est illa Virtus sive Auctoritas, quæ huic præcipuè Imperio nescio quo fato ab omni ævo donata videtur. Quocirca cum forte visendi studio in Regionem hanc aliquando perveni, præterire nullo modo potui,

tui,

tui, quin & nobilem hanc Musarum sedem inviserem & vos eo potissimum nomine salutarem. Quod si pro rei præstantiâ ac vestro merito id minus fortassis graviter aut ornatè egero, Aud. quæso sic vobiscum existimate, Me hominem sanè peradolescentem & Iuridiciali regno impeditum ne quidem satis mihi ipsi pro arbitrio satisfacere posse. At quis excellenti naturâ aut adeò doctrinâ prædi-tus est, qui non in tali re Animi potius dicentis judicium seu Magnitudinem, ac vanam alicujus scientiæ ostentationem spectandam putet. Ego sanè hac potissimum cogitatione erectus in eo, quod quidem maximum est ac præstantissimum de Majestate Principis, hoc tempore versari non dubito. quandoquidem, uti dico, non tàm hîc eruditionem aliquam aut adeò dicendi facultatem (quæ quidem in ætatem hanc vix ulla cadere potest) quàm studium erga vos meum multo maximum considerari volo. Quod igitur anteà sæpenumerò mecum in Patria cogitavi, id nunc præsenti vestrûm intuitu ardentiùs instinctus coram ipse vobis publicè oratione testabor. partim ut omnis Tetrarchiæ repetitâ memoriâ vestram illam Divinam virtutem Britanni in defendendâ Belgarum adversus Hispanum salute grato testimonio commemorem. partim ut ad exscidium illius teterrimi Tyranni pro communi omnium nationum incolumitate vos potissimum sorte vestrâ excitem atq; inflammem. Si primum etiam atque etiam enixè oravero, ut me de Laudibus vestris non fuco aliquo, verùm ex animi sententiâ dicere aggressum benignè atque attentè audiatis. Cùm hujus Imperii conditionem & facta virtutesq; virorum ab ultimo mecum sæculo considero, nescio quomodo incredibili qua-

dam

dam illius Veneratione ac ſummo veſtri Amore perfun-
dor. Etenim ſive naturâ Regionis ac ſitu terrarum ita for-
tuitò comparatum ſit, ſeu potius Divino conſilio ab æter-
no ſic providè conſtitutum, certè perſpicio hic miſeris per-
fugium atque ſolatium, inſoleſcentibus autem exitium
collocatum eſſe. Nam cùm Oceani intervallo ab toto Or-
be diviſi horum Violentiæ minus expoſiti eſtis, tùm ſanè
illorum periculis ac difficilibus rebus ab omni tempore
magnanimè ſubveniſtis. At verò hæc omnium Dynaſta-
rum eſt ratio ſeu potius amentia, ut finitimis laborantibus
aut oppreſſis non anteà ferè ſaga ſumant, quàm ſi apertè fi-
nibus quoque ſuis conflagrare cœperunt. An igitur ſine
maximo aliquo rerum humanarum fato id huic præcipuè
Ditioni quaſi Divinitùs datum aut innatum eſſe cenſe-
mus? Atque imprimis tanta cum populo Belgico majori-
bus veſtris ſemper conjunctio fuit, uti ſocietas inter eos
non humano conſenſu contracta, ſed Cœleſti quodam nu-
mine inita fuiſſe videatur. Itaque hoc primùm. Non tan-
tum communi nomine ob Majeſtatem illam vos revere-
mur omnes, at etiam proprio ſtudio & animorum ſingula-
ri voluntate diligimus, colimus & caros habemus. ROMANIS,
ut extremam memoriam revolvam, infeſtantibus
ac more ſuo vaſtantibus omnem GALLIAM primùm
BRITANNI illi veteres perantiqui communi ſaluti provi-
derunt, vicinis populis & amicis auxilia ſubminiſtrarunt.
Quæ quidē ſola cauſa fuit cur hanc quoque Inſulam, quæ
vix ulli antea cognita erat, C. CÆSARE duce adierint,
invaſerint, occuparint. Niſi potiùs eos inſatiabilis quædā
Ambitio & immoderata regnandi Cupido in vaſtiſſimas
gentes concitaret. BELGÆ quidem tùm eadem virtute

usi, quod vererentur ne omni subactâ GALLIA ad eos exercitus reduceretur, in tempore conjurarant in eos; sed ingenti commisso prœlio cum maximo ipsius CAESARIS vitæ discrimine vix tamen tandem devicti fuerunt. Quod si illorũ consilia ceteræ nationes secutæ id uno pariter cõsensu egissent omnes, meliori fortassis eventu res illa cecidisset. Verum dum unusquisque sibi formidans communis Fortunæ aleam subire recusat, & singuli pro suâ tantum incolumitate dimicant; quid est quod magnopere mirari possimus, si tandem his universi nos parere cogamur? Atenim credo fuit hoc fatum ROMANORUM, in quibus eximia quædam Majestas elucebat, ut omnium post gentium imperio continuò potiantur. Quis enim alioqui hanc eos Regionem, quam quidem tum alterum Orbem terrarum existimabant, nondum satis pacatis GALLIAE populis scrutaturos id temporis opinetur? Nisi fortè hunc ipsum CAESAREM, in quo profectò non minor erat Ambitio, simili MACEDONIS illius furore agitatum & stimulatum esse dicas, qui cum vix minimam Mundi partem subegerat alios sibi Mundos immaturè quærebat & offerri volebat. Quod si ita est non solum laudetur hac in parte prima illorum virtus, & animi magnitudo, quòd suo periculo socios incolumes conservandos putarint, verum adeò prudentia ac mentis consilium deprædicetur, quandoquidem incendium illud quod vicinorum fines amburerer non Oceano ipso extinctum iri, sed tandem quoque ad sese perventurum providerent. Atqui ut opinor hinc documentum nos capere voluit Fortuna, quomodo in posterum Cupiditati cœcæ, qui vehementiùs multo dominari studeât, obsisteremus. Quod sanè nisi planè cœci sumus iam-

diu nos oculis apertè cernimus, nisi stupidi omnino atque excordes nimio nostro malo atque calamitate sentimus. Vos autem BRITANNOS tanquam in vertice hujus Machinę constituit, & ab cęteris nationibus segregavit, & maris intervallo ab horum injuria defendit, quò altiorem humanâ cogitatione provinciam suscipiatis. Quorsum enim pertinet illa perpetua Felicitas, quâ hisce posterioribus sæculis in maximis ferè prœlijs victores exstitistis? Quò spectat vestra Divina virtus, quâ exsultantem ac lascivientem Dynastarum ferociam fortiter plerunque repressistis? Quid aliud sibi vult admirabilis quædam Majestas, quâ Nationibus, Regibus periclitantibus omni ferè tempore succurristis? Illud profecto est, Incredibili quadam benignitate Deus vos adspexisse videtur, ut tanquam Ministri suæ Potentiæ quos ad spectaculum mortalium in scelere extollendos putavit, eos aliquando de superbissimo fastigio deturbaretis. Gaudete igitur isto vestro tam excellenti bono, ac vos Divino munere, sicuti fecistis adhuc, magis magisque dignos præbete. Quid? Num post ROMANORUM Imperium GALLORUM præ aliis eminente Potentiâ majores quoque vestri illorum viribus obstiterunt? Sanequam assiduis inde bellis prœliisque, quæ continenter gesserunt, adeò se invicem infestarunt, ut posteà inter eos insita quædam simultas ac naturale odium, quod quidem hisce temporibus jam bellè recessit, coortum videretur. Etenim fugiebant ad eos miseri & afflicti Proceres tanquam ad certum præsidium salutis suæ, implorabant omnes eorum opem, & hi quidē ultrò se adversus eorum Cupiditatem in commune discrimen offerebant. Intelligebant fortissimi viri, quod parentum exemplo didicerat,

eorum Lubidinem, qui proximè ac latissimè dominentur, in tempore refrænandam esse. Itaque seu GALLIAE minores Principes aut Nationes alibi laborarẽt, iis pro more suo subveniebant, aut si hoc ipso fortè in fines suos bella contraherent, hic fortiter hostiles impetus sustinebant. Atque hinc prima occasio cur BELGICA nostra, quæ nullius unquam Dominatum sufferre potuit, vobiscum arctissimo societatis vinculo confœderata est. Nam quæ vicinam quoque Potentiam sentiret aut formidaret, quorum obsecrò amicitiam captet nisi eorum, qui se communi Hosti præcipuè opponant? Ad quos confugiat si non ad eos, in quibus Libertati omnium atque saluti præsentissimũ subsidium paratum foret? Quos denique magis intueatur aut adeò suspiciat quam eos, qui tanquam sospites atque conservatores humanę gentis Divinitùs constituti videantur? Ac sanè posteà quam fidem semel vestram cognovit adeò se omni tempore obsequentem probavit, ut nihil penè unquam absque vestrum consensu cũ exteris Nationibus aut Dynastis contrahendum putarit. Quippe sic nati sumus BELGAE & imbuti, sic à patribus majoribúsque nostris instituti, ut eos qui continenter imperitant veneremur & humiliter colamus, qui avarè autem & ambitiosè dominari student, eos detestemur, oderimus & omni ratione debilitandos censeamus. Quocircà non solum nobis BRITANNI invicem bellè convênit, quòd conjunctis ferè viribus maximorum Regum Potentiam imminuerimus, sed etiam quod amicitiam, quæ facilè inter Principes immutari consuevit, diutissimè conservaverimus. Repetite mecum veterum annales, inquirite recentioris sæculi historias, evolvite omnis generis monumenta, numquam

cum populis adeò finitimis pauciora fuisse bella, numquam fœdera, societates minus cupidè violatas, numquã commercia & privatorum jura majori utrinque cum utilitate observata reperietis. Si ortæ interdum fuerint controversiæ, si natæ sint dissensiones, motæ inimicitiæ exiguo sanè tempore pro rei conditione compositæ ac sedatæ fuerunt. O quantum polles in libero populo excellens Imperii Majestas ac Veneratio! Tu quibus naturâ TYRANNUS inimicus est & infestus, eos benignè foves, exosculaaris, & ab injuriâ defendis. Quos alii vi ac violentiâ nequiquam sæpe opprimere conantur, eos Tu benevolentiâ ac liberalitate ultrò in obsequiũ adducis. adducis autem? adduxisti jamdiu, atque ab omni memoriâ te revereri facis. Ut vetustiora omittam, Cum primùm ad VALESIOS Diademate translato inter maximos duos Reges de Imperio contentio ac bellum moveretur, quid? tres potentissimi BELGICÆ populi quid egerunt? utrius tandem partes secuti sunt? Non GALLIÆ fide abrogatâ contrà minas ac Jovis ROMANI fulmen huic se potiùs Ditioni addixerunt? imò sanctissimo fœdere sancito juraverunt per sceptrum hujus Imperii, seq; dissensionis casu ANGLICÆ MAJESTATIS arbitrio submiserunt? Sedenim hæc fuit istius rei causa. Nam cum avitam GALLIÆ Dominationem vererentur, vobis, quorũ fidem atque constantiam perspectam habebant, potiùs succurrendum, quàm se diutiùs Potentiori Dynastæ committendos existimarunt. At verò quantâ virtute fortunam parentum secuti ex illo vos tempore extulistis? Ducem BRITONIÆ profugum in Regnum restituistis, REGI NAVARRIÆ opem imploranti auxilia suppeditastis, tum AQVITANIAM, PICTA-

VIAM omnem possessiones majorum recuperastis, CALETUM & alias munitissimas sedes occupastis, denique in omnibus ferè prœliis, quod quidem maximum est, victores exstitistis. Possum referre multas acies, quibus ingentē hostium internecionem majores vestri fecêre, nonnunquam captos Reges aut in prœlio interemtos, innumeros Heroas occisione occisos, infinita hominum millia uno eodémque conflictu trucidata, castella, oppida firmissima expugnata; Possum alia talia pluribus cōmemorare, Aud. sed quia sigillatim omnia enumerare immensum foret cuncta silētio præteribo. Quid quod coagulatis jam multum BELGICAE viribus ab CAROLO illo BURGUNDO commoti iterum potentissimo exercitu trajecistis? Nec verò vos eo nomine reprehendam quòd pacem id temporis feceritis cum ijs, quandoquidem ab eodē post diuturnas moras primum turpiter destituti, ac posteà traductis immensis ægerrimè copiis denuò derelicti eratis. Porrò erat in illo viro inæffrænata quædam cogitatio animíque sensus, qui numquam eum requiescere, numquam satis mente consistere sinebat, at incredibili quadam Cupiditate actum ad nimis alta semper & immoderata stimulabat. Et quidē prisca GALLORUM Dominandi ratio debilitatis paullatim belli nervis & imminutâ Potentiâ Regni jamdiu plurimum cessarat. Quare omnino nescio quo fato evenisse dicam, cur hoc Imperium, quod ad comprimendam Dynastarum insolentiam natum & firmatum esse arguo, haud fortè unquam potentissimo ac cupidissimo simul Principi (ingenuè proloquor, Aud.) bella denunciarit. Nisi DEUS OPT. MAX. inter hanc Nationem & Populum nostrum, quorum continentia, integritas & animo-

rum dimissio satis spectata est, nullum diuturnum odium, quod hinc accidere consuevit, conciendum putarit. Nam quidem pro scelere ipsius, quod contra Belgicam planè fidem commiserat, ac vitæ totius arrogantiâ commotis extraneis gentibus merito satis eum supplicio affecit. Fuit interdum occasio belli, tum nimirum cum LODOVICO Regi ob contumelias illius atque superbiam irritati auxilia ostenderetis, at is qui omni vitâ tanquam fatalis ipsi hostis exstiterat hanc eum debellandi opportunam cõditionem neglexit. Atque vicissim illo post necem CAROLI amplissimam vobis mercedem offerente ac præmia si vestras ipsius copiis conjungeretis, vos eadem constanter repudiastis. Est est igitur Divina vis ac Providentia, quæ certo quodam consilio BRITANNOS Populumque BELGICUM æternâ & indissociabili amicitiâ inter se conciliavit. Iam verò, ne longius ab instituto recedam, quis exterorum Principum primus HISPANO pesti atque exitio Nationum omnium sese opposuit? BRITANNUS. quis afflictos ab eo populos, aut adeò Reges imperio, dignitate orbatos erexit potissimum ac sublevavit? BRITANNUS. quis immensam illius Potentiam multoties attrivit? quis insatiabilem Cupiditatem sæpenumerò refrænavit? non hic idem Deo sic volẽte & adjuvante BRITANNUS? Vix Regnum CASTILIÆ post multa suorum scelera nefariè obtinebant, Cum videlicet Don PEDRO ille crudelis ab illegitimo fratre ejectus opem vestram implorat, succurritis inopi & auxilium pollicemini, (nam si ob sævitiam Diademate indignus foret, hunc certe nothum Imperij maculam id minimè oportebat) Vos ergo inquam succurritis more vestro, & maximo vincentes prœlio modò exsulantem reducitis

ducitis in regnum. Atqui non tantum pro hujus omnino defensione tùm solliciti estis; Principi MAJORCAE ab ARRAGONIO patrimonio spoliato subsidia promittitis, LEONEM ARMENIAE Regem ab TARTARO finibus expulsum benignè excipitis, deniq; NAVARRO veteri socio & amico fidem denuò vestram captanti contrà GALLORUM & HISPANORUM injurias eodem ferè tempore subvenitis. Quid hoc est per MAJESTATEM Imperii sic unam Nationem compluribus laborantibus simul opitulari, nisi Dei personam ac munus in terris sustinere? At porro cum LUSITANUS ob illud ipsum præsidio vestro adjutus in eos demum arma moveret; quos hîc iterum viros, quâ vos virtute præditos esse probatis? Trajecti novis copiis Oceanum, & sponte ardore vestro incitati mox oppida plurima expugnatis, hostem sævum & exsultantem tantisper sanè comprimitis, donec is qui princeps causa belli fuerat pacem vobis invitis turpiter iniret. Sed mediusfidius quænam est illa constantia & incredibilis magnanimitas, quibus hanc lentè passi injuriam nihildùm ab excellentissimâ animi cogitatione removetis. iterum ab eodem rogati expedito exercitu invaditis HISPANIAM, civitates complures subigitis, hostem bis prœlio vincitis, funditis, prosternitis, denique vastatis, depopulamini universam Regionem, & quidem sceptrum Imperii, quod optimo tùm jure ad Imperatorem vestrum pertinebat, armis tremefacitis. tremefacitis? imo convulsissetis omnino ac tenuissetis nisi cœlesti quodam morbo militum vestrorum corpora correpta fuissent. Equidē sic opinor, sic perspicio, Aud. DEUM immortalem à primis Regni cunabulis, quò graviùs ex immutatione rerum doleant, favisse eorum rebus & infinito-

rum

rum ſcelerum conceſſiſſe impunitatem. Voluit eos evehere ad illud Imperii culmen ac nominis Dignitatem, quò maximo aliquando occaſu ac ſubitâ internecione ſuam in vindicandis facinoribus juſtitiam mortalibus demonſtret. At quorſum hæc ego? ut intelligamus, Aud. vos ab extremâ memoriâ, quâ primum in viſcera ſua ſævire cœpit, hoſtes exſtitiſſe HISPANO, atque ex eo colligamus non tàm terrore aliquo aut formidine ductos, ut illi quidem contumelioſè dictitant, quàm priſtinâ majorum virtute concitatos hoc noviſſimè ſuſcepiſſe bellum. Tametſi quis ille terror dici poteſt aut adeo formido, ac non potius ſumma prudentia & animi magnitudo, ſi maximi TYRANNI Potentiam proxima omnia auferentis ac diripere conantis maturè debilitandam puteris? Occultabat ille Cupiditatem antea & dominandi Lubidinem tantiſper diſſimulabat, dum LUSITANIAE Regnum locupletiſſimum & ampliſſimum oppreſſerat, occuparat, poſſidebat. tum quaſi demens & væcors animíque impotens effrænatâ efferri cœpit audaciâ, & cunctis populis, Nationibus, Regibus ſævitiam ſuam minitari. At, proh dolor! quod facinus excogitavit, quod crimen commiſit, quam edidit Tragœdiam, ut Avaritiam ſuam & Ambitionem his latiſſimis finibus ac luculentiſſimâ prædâ ſatiaret! Primùm SEBASTIANUM fortiſſimum, optimum Regem cognatum ſuum pro BARBARO Principe belligerantem nefariè deſtituit, ſcilicet opem & auxilia pollicitus animoſum Heroa ad glorioſiſſimum factum invitat, ut vel devicti, vel viribus infracti, vel potius trucidati, quod omne illius votum erat, potentiſſimum Regnum invadat. Quænam per Deum immortalem eſt iſta perfidia! quod in tam impio ſcelere deteſta-

bile scelus! quantum ab istâ Divinâ virtute vestrâ id omnino remotum est & alienum. Vos desolatos mortales & opibus destitutos consolamini, opitulamini, sublevatis. Ille non tantum frustratur eos ac derelinquit, sed & alios in idem discrimen aut in eandem calamitatem adducit. Vos maximorum Regum Potentiam infringitis, ut comprimatis eorum Lubidinem & innocentium perniciem prohibeatis. Ille eorum vires fraudulentis artibus consumit, ut Cupiditatem suam novâ spe lactet, & aliorum fortunas per fas atque nefas evertat. Vos denique fidem, justitiam colitis, Continentiam usurpatis, alios beneficio afficitis, aliorum injurias defenditis, nullius imperium appetitis, neminem possessione, patrimonio spoliatis. Ille nescio quo spiritu agitatus certè perfidiâ duce, crudelitate sociâ, adhortante libidine omnibus illudere studet, omnes vexare, discruciare conatur, in omnium opes atque inopiam, id est in universum Orbem terrarum istud avidissimum supercilium suum defigit. Inde Don ANTONIUM, ne unico hoc actu fabula omnis consistat, summâ pietate ac vitæ innocentiâ Principem, quem litium calumniâ non poterat, vi & armis finibus expellere, exterminare pergit. nempe ANNIBALI crudeli, avaro, perfido, arroganti, ANNIBALI vero? ALBANO dico, (fallor MAURORUM vocibus ac simili immanitate morum) illi inquam tortori atque carnifici mortalium, Mirmyllonum duci & expertissimo sanè Lanistę (novimus quippe nos BELGAE) negotium dat, qui Regionem illam, quæ toties Dominationi suorum obstiterat, in potestatem demum suam adducat, Regem suis manibus trucidet vel Regno ejiciat, manubias & opima spolia reportet, tum nationem omnem cruciatu, tormentis adficiat, & ad

C extremum

extremum intolerandæ servituti CASTELLANORUM vel superbissimorum dominorum addicat, quæ mediusfidius omnia miserum in modũ passi fuêre, patiũtur etiam-num, & patientur eousque dum æternum hoc ac diu jam debitum supplicium in caput illud scelerum atque malorum omnium redundet. Ita-ne igitur LUSITANI Rege vestro, quem maximo semper studio prosequi consuestis, orbati jacetis. Ita-ne servili tandem jugo oppressi estis, qui antea Cupiditati ipsorum fræenos injicere pro arbitrio & imperare soletis. O luctuosam atque calamitosam maximi quondam Imperii Fortunam! quod ab Occidente ad usque Orientem terminos Ditionis suæ proferebat, nunc dominis parere superbis cogitur, & contumelias eorum atque fastidia indignissimè pati. O funestam ac deplorandam potentissimi Regis Conditionem! qui modo latissimè imperitabat, quem propter avorum virtutem ac belli gloriam Principes, Nationes terrarum venerabantur, sic rebus omnibus spoliatus jacet, omnem omnium opem implorat, & quidem in illa miseriâ atque calamitate vitam demum suam deponit. Tum vero ille demens & quasi furiis agitatus liberè bacchari ac volitare animo per universum Orbem terrarum, solus omnium fortunas atque imperia pari affectu concupiscere, Lubidinem dominandi atque prædandi causam belli habere, nec id occultè amplius aut dissimulanter agere, sed JOVIS ROMANI Auctoritate ac suâ Potentiâ fretus sub falso Religionis nomine palam omnibus denunciare cœpit. Quid enim aliud, ut unum hoc adferam quod maximè attinet, quid aliud immensâ illâ, vastâ atque horribili classe, quæ illius mox fatum Regis secuta est, quid sibi volebat? quid cogitabat eo

conatu furibundus HISPANUS? an-ne ut vobis oppressis, quos miserorum perfugium atque præsidium norat, omnium simul gentium Libertatem, jura everteret; invaderet regna, possessiones; bona, fortunas dissiparet? Ita profectò est, sic præcipiebat immanissimus helluo, Hanc primum florentissimam Regionem pro deliciis ingurgitare sperabat, deinde BELGICAM adverso diu Marte vexatam ac solo vestro subsidio nixam dirutâ tibicine opprimere certum habebat, tum GALLIAM, quam face jam ante GUISIANA incenderat, in potestatem quoque suam redigere non dubitabat, ac postea omnes deinceps Nationes, omnes Principes atque Reges, omnes Dynastas, Tetrarchas subigere instituebat. At nimis herclè immoderata spes eum atque opinio fefellit, decepit, frustrata est. Vos BRITANNI eâdem Virtute usi atque Fortunâ, quâ sæpè aliàs TYRANNIDEM reprimere consuestis, illius Archipiratæ (ne dicam jam teterrimi TYRANNI) Violẽtam audaciam egregiè prohibetis: Naves armentis, viris instructissimas, magnitudine, robore firmissimas, omni copiarum genere abundantissimas partim capitis, partim deprimitis, partim dissipatis: DONNOS illos & dignos scilicet mortales generis humani, (nam quidem alios pecudes pro se existimare solent) quorũ animus sævitiâ flagrans nostrûm omnium sanguinem sitiebat, complures Oceano immergitis, nonnullos ab acerbissimâ fame ferro liberatis, reliquos DIVO CHRISTOPHORO, cui tum præter opinionẽ, credo quomodo ULYSSI ex utribus tempestates eruperant, restituitis acceptos. sed hæc tum satis omnium commemoratione deprædicata fuerunt. Veruntamen quæ res non modo in hoc sæculo, sed post natos mortales est unquam gesta

major? quæ gloriosior? quæ commendatior hominum memoriæ sempiternæ? Quid admirabilius aut utilius exteris gentibus? quid optatius BELGIS, quid GALLIS accidere potuit? qui cum intestino uterque incendio conflagrarent, sic furorem illius in cervices suas ac viscera imminentem ante oculos extingui viderent? Quæ porro tum fuit omnium lætitia? quis vester triumphus? quæ vicinorum populorum congratulatio? quorum alii laudibus efferebant victoriam vestram, alii cladem illius & irritas cogitationes ridebãt, alii similiter ac pro æterno beneficio immortales gratias agebant. Et quidem merito. Nam herculè eo ipso quod Terrorem illum atq; perniciem Orbis terrarum evertistis, Ecquanetum minus actum arbitramur quam quod Provincias, Regiones omnes ab durissimâ servitute ac præsentissimo interitu liberastis? Quare non solum hîc iterũ, BRITANNI, vos laudo eo nomine ac veneror, sed quod quibusdam fortassis invidiâ aut æmulatione ductis obscurum videri potest, id quasi præcipuo hoc vestro actu ex magistro stultorum eventu firmissime confirmo. Quis vero Don ANTONIUM illum ejectum, spoliatum & omnium egenum in regnum restituere conatus est? quis hic Potentiam HISPANI minime formidavit? GALLUS, quem quidem maxime oportebat, id primum tentavit, sed in extraneis Insulis disjunctisque terris vis omnis illius consumta est. tum MAURITANUS ingentem pecuniam nervum belli & commeatus obtulit. at Pietas summa Regis, Religio, & sanctitas disciplinæ auxilium BARBARORUM refutat. Ad vos nimirum confugit, vos obtestatus est, vos dignissimos eo munere judicavit, in quibus firmissimum miserorum subsidium adversus TY-

RANNOS esse sciebat. Ac sanè res bellè processerat, cesserat LISBONA lumen ac firmamẽtum Imperii sorti vestræ, nî Fortuna infelicissimi Regis & fatum credo HISPANI, qui paullisper ante ruinam in altissimo consistere debuit, consilium vestrum manifesto inditio evertat. Quanquam quis rem tantam, tam arduã absque præcipuâ MAJESTATIS vestræ Auctoritate, quam desolati adhuc intuentur hæredes, aut adeò potentissimi alicujus Dynastæ consensu succedere posse confidat? Itaque desinant illi, desinant tandem metum atque formidinem vocitare, quę profectò, siquidem vera vaticinor, maximorum ipsis malorum aliquando causa futura est. An vero cum FRANCISCO DRACONE duce pestifero illo atque capitali HISPANORUM hoste in remotissimâ INDIA sedem figere cogitaretis; id vos terrore aliquo adductos suscepisse dicamus? Quid quod GADES illas antiquitate nobiles tanquam verticem illius Imperii nuper auxiliante BELGA fortiter expugnastis, depopulati estis? en tum depressâ aut concrematâ opulentissimâ classe, tot iterum gazis, tot divitiis submersis præ Potentiâ illius expavistis? Quid si hoc ipso nisi ad sanitatem revertatur (etsi qui id potest qui semper amens fuit?) sic vos eũ in ipsis medullis vexaturos ac Regni visceribus ostendistis? At hic intelligo quid sentiant, Audvidete quæso væcordiam, quoniam non simili ipsorum audaciâ projecti ac libidine præcipitamini, sed maximâ continentiâ ab initio dignitati ipsius nostræq; saluti prospicere studuistis, vos demum terrore aliquo commotos arma sumsisse affirmant. Homines incauti & arrogantes ipsi sentẽtiam suam proferunt, vos ad perniciem suam vocant, ad excidium impellunt, ad interitum lacessunt, &

quorum facta ingratis secum obstupescere debent, eorum virtutem more suo contumeliosè deterere quaquâ ratione contendunt. Infinita sunt alia, Aud. eaque præclara, quibus Divina illa virtus ostendi possit ac pluribus deprædicari. Omitto antiqua illa, cũ CYPRIÆ & alii Orientis Reges in fidem vestram confugerunt, prætereo recentia, quod nuper GALLIÆ Regi obsesso & in extremo fluctuanti discrimine præsidia vestra subvenerunt. ad singulare enim pro BELGICA nostrâ meritum animus festinat atque oratio. Quod quidem quò commodiùs aut gratiùs commemorem, rem paullò altiùs sed quàm brevissimè potero repetam. Illa igitur illa BELGICA, (deficio præ mœrore dũ Patriæ fortunam recogito) illa inquam BELGICA, quæ Principes semper suos fidelissimè ac fortissimè amplecti consuevit, importuni TYRANNI violentia miserè agitata ac profligata jacebat; inusitatam crudelitatem, immanem avaritiam, intolerabilem fastum ALBANI sustinuerat; dolum, insidias, perfidiam AUSTRIACI senserat; discordiis suorum, æmulatione, & malevolentia quorundam plurimum labefactata erat; nunc ALEXANDRI furore oppressa & desolata sedebat, civitates aliæ vi capiebantur, aliæ necessitate coactæ in deditionem veniebant, aliæ præ formidine exanimatæ similem omnino fortunam sperabant, nullum satis erat consilium publicum, nullus ordo domi, nulla disciplina militiæ, non certum ducem habebamus, non copias, qui extrinsecus adsciti erant & inaugurati pravâ Cupidine ducti rem in majus discrimen involverant, dandæ cervices erant immanitati ac jugo nefario, quippe LIBERTATIS vindex ac PATRIÆ Parens ab sicario indignissimè trucidatus erat, CUM DIVA BRITANNIÆ MAJESTAS

jestas, (ô Aurea Majestas!) quos jam reconciliari posse desperabat, tandem adspexit miseros & ultrò in fidem suam ac defensionem recepit. Quæ vis ac copia linguæ, quod flumen ingenii, quis denique splendor aut gravitas in dicendo id meritum honorificè satis oratione expromat? Græcia quondam universa Romanos illos ad cœlum laudibus efferebat, quòd se Philippi Macedonis Tyrannide oppressam in Libertatem restituebant, gentem illam tanquam Deorum beneficio datam ad conservandam aliorum salutem venisse dictitabant & grato animo vociferabantur. Quid ergo nos? quibus præconiis vos evehemus? quâ benevolentiâ prosequemur? quâ reverentiâ suspiciemus? qui Libertatem nostrã Philippi Castellani dirâ Barbarie afflictam & quasi conculcatam non solum ad hunc modum erexistis, sed oblatum quoque vobis Imperium ac penè traditum tùm incredibili moderatione renuistis. Tentabat quippe illa vestra Pallas, quæ plurima sapienter providebat, innocentem & obsequentem populum in gratiam reducere; pacem, inducias, fœdera sæpenumerò proponebat, quinimo pecuniâ & copiis difficillimis temporibus instruebat, ne, quòd illius commodo fieret, extraneo nos alicuĩ Dynastæ submitteremus. O Auctoritatem sceptri horrendam! O Continentiam Reginæ admirandam! Non solum incolumitati Populi ac Libertati consulere, concessum repudiare Principatum, sed ipsius quoque Dignitati Tyranni ac sanitati, si fieri ullo modo possit, providere. Quid simile tandem Romani? hi tres potentissimas civitates claustra & compedes Græciæ præsidiis obtinere pergunt, nempe ut universam postea Regionem, quomodo res ipsa docuit,

cuit, more ſuo invadant. At jam cum ſpem nullam compoſitionis ſupereſſe, cum Odium crudele TYRANNI in dies effervefcere, cum nos duce omni atque ſubſidiò orbatos videret, & rem penitùs ſublapſam referri, Tum inquam quaſi Salus quædam, quâ ſine ſalvi aut incolumes eſſe non poteramus, nec opinantibus, nec cogitantibus, nec ſperantibus quidem nobis ſe offerebat: opibus, pecuniâ, exercitu, Imperatore inſtruebat, animum denique & vires ſubminiſtrabat, quibus peſtifero illius furori crudeliſſimis cōſiliis incitato reſtitimus adhuc, reſiſtimus etiam-num, & conatum quotidie magis Deo adjuvante debilitamus. Veſtra igitur virtus eſt, BRITANNI amiciſsimi ſocii, veſtra laus omnis, veſtra potiſsimum gloria, quòd quidem hac tempeſtate cōſiſtimus, quòd magis in dies vigemus, quod unà cum cęteris gentibus non ingemiſcimus aut pecudum more dilancinamur. At quo hic iterum ſtudio incendor ac ſummo veſtri amore conflagro, dum ea modò conſidero quæ, ſiquidem res ipſorum arbitrio reſpondiſſet, nobis infeliciſsimis mortalibus toleranda fuiſſent, dum vultum eorum, inceſſum & os illud contumelioſum intueor, dum exquiſitiſsima ſupplicia, cruciatus, tormenta & populo BELGICO minimè ferendam Dominationem mihi propono. Parentibus nos, à quibus hoc corpus ac ſpiritum quo vivimus acceptum habemus, ad lethum uſque obſtrictos eſſe cōmunis Ratio præceptat. Num ergo vobis, qui Patriam, quæ vitâ cuiſque carior eſſe debet, qui parentes ipſos & quę ab iis accepimus, qui fortunas, jura, leges, Libertatem, denique omnia quę poſsidemus tutati eſtis, Num tandem vobis gratias minores agemus aut referemus? Niſi haud magnum veſtrum meritum perinde ac ſi proprium in pro-

pugnandâ sociorum salute periculum arceatis, qui ingratorum est hominum sermo, arbitramur. Quoties ille quos minis aut aperto Marte terrere nõ potuit dulci ac salutari pacis nomine delinire putavit? quoties per Legatos suos aut Intercessores alienos fœdera ementita proposuit? quoties vos à nobis, nos à vobis secernere aut utrosque falsæ spei indormientes & imparatos opprimere tentavit? Sed fides summa, constantia & sacrosancta vetustate societas, quæ tanquam connubio aliquo firmata stetisse videtur, adulterum semper illum rejecit, contemsit, repudiavit. BELGAS vero, id est fortissimos viros & integerrimos amicos, in sinum suum recepit, benignè fovit & invidente quidem illo exosculata est. quippe nostis Lubidinem, nostis Perfidiam, nostis Violentiam, quibus nõ antea debacchari desistet Lenonis sui, Væjovis inquam (semper erro in nomine) auctoritate illectum aut concitum, quàm vel omnes rapuerit, vi aut dolo subegerit, vel ipse, ut quidem potius reor, omnibus nervis ac robore sit infractus & elanguescat. Quid ego ego nunc illa commemorem, quę Imperatores persæpè vestri ac strenui milites fortissimè egerunt? quid heroicam quorundam virtutem aut res eorum gestas recenseam? quid eorum fortunam deplorẽ aut grato testimonio prosequar, qui tanquã pro Patriæ suæ mœnibus animam projecerunt? Nullum profectò prœlium fit aut velitatio paullò acrior, in quâ nõ laudem aliquam mereatur BRITANNUS. nullum oppidum aut firmior agger obsidetur & expugnatur, quin dignum aliquod facinus mediteur BRITANNUS. nulla vicissim civitas aut murus non se constanter tuetur, in quo præsidium tenet ac defensionem BRITANNUS. Ille flos est peditatus nostri, ille

robur militiæ, ille firmamentum & ornamentum Imperii: Ille non tam lucro aut stipendio adductus, quomodo aliæ nationes, sed odio hostili in HISPANUM commotus pro carissimis sociis pugnat, in acie stat & sanguinem spiritumque profundit. O Spes, O Decus, O Columen BELGARUM. Utinam veniat illud tẽpus & illucescat illa dies, quâ unusquisque nostrûm, ut pro aliis etiam loquar quod ego de me sentio, hoc tantum beneficium pro virili suâ remunerari possit. Quid? alia prætereo, Nuper cum Præfectus noster NASSOVIUS illatam quondam majoribus suis cladem ALBERTO illi AUSTRIACO ejusdem nominis ac familiæ hosti non absque manifesto numine referret; Ecquam tùm BELGIS navabat operam BRITANNUS? An illustrissimæ particeps tandem victoriæ fiebat? Certè FRANCISCUS VERIUS Anglicæ Legionis Legatus (quẽ virum virtutis causa nomino) ita tùm boni Imperatoris, ut sæpe aliàs, ac strenui militis officio functus est, ut maximam secundum Principem rei gloriam omnium judicio auferret. Appropinquabat de improviso hostis furore præceps, odio ardens, victoriâ novâ elatus seu potius laniенâ recenti eorum, quos perfidissimè mactaverat, imbutus & efferatus; omnium cædem, sanguinem, internecionem spirabat. sic enim præceperat neminem ad enarrãdum factum atque sævitiam superstitem relinquere. Verum hic vester & idem noster magnanimus heros incitam eorum & effrænatam vim peditatu suo fortiter excepit, impetum diu sustinuit, pertinaciam demum infregit, cùm equitatu bene auxiliante ac rumpente eorum ordines infinitis trucidatis reliqui terga turpissimè verterunt. Quapropter manebit illius viri nomen dum BELGICI tumultus me-

moria exstabit, annalibus nostris & monumentis semper vigebit, nec ulla unquam posteritas quæ hæc audiet de laudibus illius conticescet. Atque nunc ut XANTIPPUS aliquis LACEDÆMONIUS res isthic nostras curatus est, defendit OSTENDAM obsessam, suo nutu, suo consilio, suo vitæ periculo cuncta sustinuit; prohibuit hostiles conatus, impressiones ac velitationes avertit, & quidem eximiâ in suos auctoritate tanquam de summâ belli decrevit. Et vero ignoro an ANGLICÆ MAJESTATIS consilio quodam ac singulari Favore æstatem nobis superiorem prosperrimè transactam fuisse dicam. Illa nobis ad Rhenum occupatis hanc quasi propriam atque præcipuam sibi provinciam recepit. Illa animum nostris accendit, confidentiam addidit, opem & auxilium regiâ manu spopondit. Illa saucios ibi recreavit, novas quotidie copias transmisit, & omnem sanè penum absque onere aut vectigali abundè suppeditavit. Quis unquam fuit tantus consensus atque concordia? quis meminit tàm præsentis vestri subsidii? quæ tanta lux vestræ benignitatis ullo tẽpore nobis apparuit?

*O fortunatos* BELGAS *hac Præside rerum.*

Omnes nunc idem volunt, idem defendunt, idem sentiunt, excitantur omnes ad Auctoritatem vestram, & qui perniciosâ securitate sepulti altiùs indormire solent nunc ad suam suorumque salutem ductu & auspicio vestro experrecti videntur. Itaque maxima me spes tenet videndi brevi Dignitatem veterem restitutam, siquidem hoc consilio rem omnem suscipere velitis, si istâ benevolentiâ sociorum incolumitatem amplecti pergatis. Nam herculè, ut paucis illud agam, si ille Spartam suam quam toties oblatam ingenti tandem pretio recepit & in dies ornare co-

natur, si vestrâ impeditus Potentiâ relinquere cogetur, quid aliquando fiet? subditi profectò intolerandis exactionibus perdiu vexati, nunc spe & metu solliciti, tùm ad extremum necessitate coacti ac de salute desperantes respicient meliorem conditionem. respicient vero? quid si respexerunt jamdiu & tacitè secum fortunam suam deplorant? tentabunt igitur palam & aliarum Provinciarum florentium vestris opibus forte frui posse optabunt. Ille maximâ spe frustratus, robore plurimum debilitatus, pecuniâ & axiliis destitutus dignitatem omnem amittet, comprimet paullatim audaciam, & quidem confidentissimam nos opprimendi persuasionem ac pertinaciam aliquantum deponet. Tum si vos eodem conatu quo hæc defendistis edicto paullisper justitio hostem oppugnetis, si Regionem illam armis vestris ductisque signis invadatis, quid amplius restat? actum est de illius Imperio, actum de Tyrannide, actum de omni Potestate, &, ut leuissimè dicam, vicimus: opinio ipsa & fama vestræ Auctoritatis obruet conscelerati Hostis amentiam, sentiet sibi bellum cum BRITANNO, id est TYRANNIDIS inimico ac Vindice miserorum salutis esse susceptum, experietur consentientis BELGICÆ civitatis nervos atque vires, denique conscientiâ scelerum ac rei indignitate evictus ipse concidet, populus autem multos annos gravissimè agitatus in fidem vestram tanquam ad solatium diuturnarum suarum miseriarum confugiet ac redundabit. O AUGUSTISSIMA HEROINA (te appello ELIZABETHA, O Diva, Salus & Parens Patriæ nostræ) Tua sunt Tua sunt isthæc omnia, Tù primum desolatos nos ac penè perditos excitasti, Tu excitatos erexisti, Tu erectos præsidio tuo firmasti, Tu confirma-

confirmatos etiam nunc in pristinam Dignitatem atque Fortunam Imperii collocare ac stabilire potes. Perge modò quò tua te Fortuna vocat, insta & urge fatum tuum; non dubito, imo denuntio, testificor & ante prædico, si illâ semel mente arma ceperis, si vim tuam Divinam tanquam GORGONA modò ostenderis, de conversione totius rei ac BELGICÆ universæ immutatione brevi audiemus. Enimvero hæc reliqua tibi pars est, hic restat actus, in hoc elaborandum est. nam si rei isthius immortalis hic exitus futurus est, uti Remp. in eo statu relinquas in quo nunc est, admirabitur quidem posteritas, quamdiu furori illius resistet, & obstupescet virtutem tuam, at exteræ nationes mihi crede non parum extenuabūt gloriam tui facti, cùm communem TYRANNUM hoc firmamento Imperii penitùs orbatum fuisse optabunt. At si his illum ejeceris belli sedibus, in quibus domicilium TYRANNIDIS figere cogitavit, tùm sanè gentes omnes ac Principes terrarum, qui partim Potentiam illius extimescunt, partim sub Dominatum redacti sunt, Te unam suspicient, Te intuebuntur, & numen illud Diadematis tui ad exscidium TYRANNORUM auxilio & obsequio prosequentur. Atqui tùm licet, si Deo sic visum, cum maximo vitæ triumpho naturæ concedas, cùm illud peregeris quò Æterna illius Voluntas Te vocasse videtur, cum successores tuos, quibus gloriæ hæreditatē relinques, ad persequendum institutum tuum commoveris & excitaris. Nisi profectò pro incredibili magnanimitate atque heroicâ virtute id ipsa Tu suscipere malis quàm aliis imperare. Hoc illud illud est nimirum, quod extremum omnium salutis, quod Nationes omnes, quod Principes jamdiu exspectant & tacitè votis suis implorant. Uti TY-

RANNUM

RANNUM illum, qui Orbi terrarum exitium, vastitatem intentat, de superbissimo fastigio malè parti Imperii deturbes, namque aut Tu pro sorte tuâ Divinâ id exsequi potes, aut certè omnibus cura istius rei deponenda est. Illud fatum Imperii, quod ROMANORUM primum impetum sustinuit, GALLORUM Potentiam infregit, CASTELLANORUM Lubidinem refrænavit; Illa Virtus tua, quæ nos ab illius Tyrannide ad hunc usque diem constanter defendit, certum est contundet ejusdem vires & infinitam Potentiam opinione citiùs evertet. Aggredere tantum per DEUM immortalem, arripe te dignum conatum. Concurrent Nationes omnes, si paullum modò labefactari cœperit, ad commune auxilium. aliæ res suas indignè abreptas repetitum venient, aliæ periculo ac metu liberatæ pristinas vires resuscitabunt, aliæ solâ facti excellentia commoti sponte auctoritatem tuam sequentur. GALLIA, quę ab illius furore miserè diu acta ac dilacerata jecit, nunc belli viribus animisque increscens veterem succum & sanguinem recuperare videtur. Hæc tot affecta injuriis, toties infestata, tot insidiis petita tendit dexteram suúmque Tibi præsidium pollicetur. ITALIA intestinam illius Potentiam formidans avitos animos spiritúsque Romanos adhuc movere non ausit, at certè æstate superiori clam irritata ad clangorem tubarum tuarum & GALLIÆ sonitum excubare videtur. Quid GERMANIA? quæ tanquam vino & altissimo somno sepulta non jam duntaxat insidias, sed immanem quoque sævitiam ARRAGONENSIS illius experta est; an-ne ad strepitum tuorum & horrorem armorum priscâ virtute edormiet, exsuscitabitur, exsurget? Certè BELGICA nostra, quæ tibi planè DEVOTA est, haud

unquam

unquam defugiet Auctoritatem tuam, hæc siquid potest hoc rerum statu omnia pollicetur, animos & corpora virorum suorum, se omnem Tibi donat, dedicat, offert, gestit inservire tuæ gloriæ, & quoquo modo TYRANNUM deprimere contendit. At si antea (ô DEUS confirma hoc omen) si antea ope tuâ libera sit & in pristinum vigorem constituta, tùm sanè nervos illos Concordiæ, quâ maximos aliquando Reges tremefecit, pro Dignitate tuâ recolliget atque extendet. denique exteræ Nationes omnes ab Oriente ad usque Occidentem, quę sub illius Terrore Imperii nunc quiescunt aut cohibentur, respicient salutem suam, indignabuntur fœdam servitutem, tandem excutient jugum illud nefarium, quod quidem (proh dolor! gemo vicem eorum) miserabilem in modum recipere coacti fuerunt. quamquam quid hîc opus tot viribus? solus GALLIÆ Rex NAVARRO sanguine natus, quo aliquando socio & adjutore in cohibendâ CASTELLANORUM Lubidine majores tui usi fuere, viam aperiet. adsit modo consensus, sanctum firmate fœdus, absit æmulatio omnis tergiversatrix & inimica communis salutis. Ille aut Alpes transscendet quà multis partibus ITALIAM injustè oppressam tenet HISPANUS. Aut per NAVARRIAM clarigatum ibit, quæ non minori perfidiâ majoribus suis tanquam pro prædâ erepta est. Tum si Tu quasi fatalem Tibi LUSITANIAM repetas, si hîc iterum concurrente BELGA præcipuo tuo munere fungare, quid tandem superest; (ipse suis viribus ruet) nisi de superbissimo Hoste cum gentium omnium lætitiâ & acclamatione triumphus? Quousque igitur, ô Supremi duo PRINCIPES terrarum, quousque impositam vobis Divinitùs provinciam capes-

ſere differetis? quamdiu miſeros & afflictos mortales ſub ſævisſimum turpisſimumque jugum ingemiſcere patiemini? quem ad modum præcipitem illius & dominandi & rapiendi Lubidinem eludere ſinetis? Non recordamini per ſummam Poteſtatem veſtram innocentium vobis ſalutem atque curam commiſſam eſſe? Non cogitatis finitimis aliquando devictis idem omnino vobis periculum imminere? Non denique perpenditis ROMANOS illos, quod majores noſtri non conveniret, ſic GALLIAM, BRITANNIAM, BATAVIAM, & alios Septentrionis populos ſubegiſſe? Nec vero eſt quod minorem illius Potentiam exiſtimemus. habet ROMANUM auxiliatorem, habet ſocios infinitos & adminiſtros, quibus occultè vobis inſidias ſtruit ac fundamenta Imperii convellere conatur. quod enim reſiſtimus, Dei ſolo Favore reſiſtimus: Ille tuetur nos, Ille protegit nos, Ille ab teterrimo nos exitio reſeruat; ſed laborē, ſed induſtriam, ſed curam quandā majorem efflagitat, ne nobiſmet ipſi deeſſe aut indigni tanto beneficio videamur. Quamobrem vos excitet tandem, excitet illius rei eventus, conjungite vires, ſaga ſumite, bellum decernite, communi manu in hoſtem omnium ite; ne, ſi ceteroqui hac ratione procedere pergamus, parem omnino aut duriorem multo conditionem (quod Deus omen avertat) ſinguli & omnes perferre cogamur. An verò Veteratore mortuo novum hunc Catulum quieturum putatis? Erratis, erratis ſi id creditis. Non hæc eſt natura HISPANORUM, non ea mens ut conceptam ſemel Regnandi opinionem deponant, repugnat Ambitio, reclamat Avaritia, & obſtinata ingenii Arrogantia adverſatur, ſed recolligunt modò vires ac reſocillant robora

quo istum aliquando certiùs reperiant, &, quos vi universos non potuere, singulos his artibus invadant, evertant, in servitutem adducant. Hoc est consilium, hæc cogitatio eorum. Hinc toties BRITANNIS, toties BELGIS oblata pacis conditio. nec enim aliâ ratione tot civitatum jacturâ cum GALLIS foedus ineat avarissimus helluo, quàm quò nobis, uti sperabat, brevi oppressis tantò hos acriùs ac vehementiùs oppugnet. O fidam dexteram! O pacem! O tranquillitatem meliorem HISPANI! At BELGICÆ Dominatum, quo TYRANNIDIS ille proferendæ domicilium cogitabat, jamdiu hic ipse remisit. Itáne vero? Equidem audivi id antea & scio actum fuisse. at mehercle hæc ista ratio est. Nam quos virtute suâ ac vicinorum auxilio defensos Violentiâ opprimere nequivit, eos sic Perfidiâ suâ ac fraudulento consilio excipere tentavit. perinde ac si non intelligamus (O stupidos hebetesque BATAVOS!) quibus vinculis eam adstrinxerit, quibus legibus HISPANIÆ subjecerit, quàm deniq; Libertate suâ, quam injusto adhuc titulo usurpabat, nunc istâ ratione privarit. Nos igitur pacem ineamus cum eo, quocum pactio pacis lex sit servitutis? etenim novimus, novimus AUSTRIACORUM studia, novimus consensum, scimus quam vicinam nuper GERMANIAM RODOLPHO CÆSARE dissimulante crudeliter divastarit, scimus quam aliquando POLONIAM per MAXIMILIANUM ambitiosè tentarit; denique nos BELGÆ de dolo atque inhumanitate sub ERNESTO, sub ALBERTO illo exemplo ac reipsâ compertum habemus. patent patent eorum consilia, dilucescunt jam omnia, discussa est illa caligo, quæ mentis aciem majorum nostrorum quando tardavit. Itaque priùs unda

flammis, ut ait poeta nescio quis, aër telluri commiscebitur, prius omnia omnibus, quàm aut pax cum BELGIS HISPANO, aut cum HISPANO pax BELGIS futura est: stat cum BRITANNIS extrema pati, eorum fortunam sequi, ac potius cum laude pro Patriâ per virtutem emori, quàm cum ignominiâ æternam crudelissimámque pati servitutem. Quid? in HIBERNIA illum, quam adductis jampridem copiis infestavit, quid agitasse censemus? Num impotens sui Ambitio diutius se continere nequivit? Certè audisse videor ITALIAE æstate superiori mentitâ classe insidiatus est. Itaque fertur iterum quo Cupiditas rapit, ac Terrestris sui Numinis impellit Auctoritas; scrutatur passim, rimatur & inuestigat omnia, num quà pro diuturno silentio audaciùs alicubi irrumpat: paternas rationes arripuit, nec igitur antea furere desistet, quàm vel omnium solus Imperio potiatur, vel ipse de omni Potestate ac Dignitate dejectus sit. An potius ut auxilium vestrum ab OSTENDA avertat huc copias suas transmisit? Attendite hîc, Aud. videte quàm BELGICIS renunciarit provinciis HISPANUS. nam quidem his artibus sæpenumerò usus est. Cum alios laborantibus nobis opem spopondisse advertit, eos ipsos aut intestino bello inflammavit, aut in eorum fines apertis copiis invasit. Testis est illa GALLIA, quæ face hinc GUISIORUM incensa ad extremum tùm penè spiritum & succum omnem exarsit. Testis est ipsa BRITANNIA, quæ sic insidias eorum & furibundum conatum non semel sustinuit, sustulit, evertit. At quidquid id est, Divina vestra virtus exsuperat. Ille abire, excedere, erumpere jussus est: Nos nihilominus defendimur ope vestrâ, & impetum furentium sustinemus. Ac proinde non

magnopere pertimeſco, ne ſi, quod ſperamus, hûc reverti omittat in nos Provinciáſque noſtras conatus ille evadat. ſiquidem fides veſtra & avita conſtantia non unquam deſeret nos, non derelinquet nos, ſed quantò validiùs ille inſultabit tantò firmiùs tuebitur, cuſtodiet, incolumeſq; conſervabit. Quod quidem per MAJESTATEM veſtri Imperii, ut aliquando liberemur à pernicie atque prodigio illo generis humani pro communi LIBERTATE precamur omnes & obteſtamur. Jam dixiſſem, Aud. ſed ut in eo deſinat unde cœpit oratio mea, ſic Patriam noſtram gratâ voce loquentem audiamus. BRITANNIA fidiſſima amica & antiquiſſima ſocia populi mei BELGICI, Ego, dum nomen meum exſtabit, quod quidem erit, ſi per HISPANUM licuerit, ſempiternum, Te unam præ aliis venerabor. Ita omni tempore de me merita es, & etiamnum mereris. Quòd ſi quando veterem Potentiam ac belli gloriam recuperavero, tùm quoque virtutem meorum & excellentem pietatem præſtabo. Tu primùm adverſus ROMANORUM injurias unà cum ceteris mihi GALLIÆ populis auxilia ſubminiſtraſti. Tu GALLIA deinde dominante ac propagante Imperii fines Libertati meorum præſediſti, tùm cùm viribus imbecilla provinciiſque disjuncta Cupiditati aliorum obnoxia forem. Tu tandem meorum jam coalitione valentem atque corroboratam in æternam vitæ ſocietatem tanquam in matrimonium accepiſti. Verum tùm fuit interdum is rerum mearum ſtatus, ut profugos tuos Reges aut exſulantes exciperem, & aliquam Divino tuo more gratiam referre poſſem. Nunc autem (Dii meliora!) importuniſſimi Hoſtis Violentiâ perdiu concuſſa & agitata vix me ipſam ſuſtineo; imo concide-

ram penitùs ac funditùs interieram nisi firmissimo Tuo subsidio fulcita stetissem. Tu me labantem ac penè præcipitatam erexisti. Tu furentem illum atque in me ruentem cohibuisti, & quidem hoc facto atque consilio saluti tuorum providisti. O Magnanimitatem deprædicandam. O Beneficium nullo satis merito remunerandum. At operior tempus illud ac summis efflagito votis cùm pestem illam laborantibus membris exscidero, cùm luem omnem evomuero forásque ejecero, & pristino meo more vigebo. Tùm enimvero plenâ Libertate fruens atque Concordiâ potens Tibi quod debeo studiosè persolvam, tùm exsurgam ad gloriam tui nominis, & quomodo pro meorum Tu incolumitate fideliter excubasti, sic Ego pro immortali tuâ laude fortiter pugnabo, dimicabo, contendam. Ibo igitur quo tua mihi MAJESTAS imperabit, sequar arma, Imperium, Auctoritatem tuam, denique justissimo dolore aut adeò vindictâ incensa ad eversionem istius exsecrandi TYRANNI nullum pro Dignitate tuâ periculum recusabo. Tu modò procede, utere sorte tuâ, certum est Te DEUS immortalis, quod & naturâ loci, & propriâ Tuorum virtute, & multis hodiernis indiciis manifestò apparet, ad præsentissimum illius exitium destinavit.

MISEROS MELIORA SEQUENTUR.